



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

627. An Archidiaconus sit Dignitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

*Quaestio 627. Num Archidiaconatus sit Dignitas?*

**R** Esp. Spectato jure communi esse dignitatem, etiam in Ecclesia Cathedrali. Fagn. in c. cum in cunctis. de elect. §. inferiora. n. 31. Pignat. tom. 1. consult. 6. n. 7. Pirh. ad h. t. n. 4. Lotter. de re benef. l. 1. q. 16. n. 112. Barbof. jur. eccles. l. 1. c. 24. n. 1. Aliique citandi q. seq. Quin & Archidiaconatus & Archipresbyteratus Collegiata est dignitas. Barbof. loc. cit. c. 2. n. 8. citans pro hoc Bald. conf. 1. in fine l. 1. Federic. de Senis conf. 80. n. 2. Tusch. tom. 1. lit. A. concl. 625. n. 6. Idque non solum in sensu aliquanto laxiore, in quo dignitas & personatus confunduntur, seu pro eodem sumuntur, & is quoque dignitatem habere dicitur, qui sine jurisdictione & administratione praeminentiam habet in ecclesia, ut dum quis in choro, Capitulo, processione, in confessu, in suffragiis ferendis sedem ac locum digniorem habet. Pirh. ad h. t. n. 3. (etsi de cetero talis loquendo proprie & stricte non nisi personatum habeat; ut idem Pirh. loc. cit. & Laym. in c. 1. de consuet. in 6. n. 1. & Theol. moral. l. 4. tract. 2. c. 4. n. 4.) sed & in rigore accipiendi nomen Dignitatis, nempe pro prerogativa seu praeminentia conjuncta cum jurisdictione, ubi nimirum eam habet Archidiaconus, ut Pirh. loc. cit. n. 4. Quin etiam est una ex dignitatibus in jure expressis, ut ibidem Pirh. Ipsumque solum Archidiaconi nomen usque adeo in dignitatem sonat, ut in illo habeat sedendi supra alios prerogativam. Lotter. loc. cit. num. 113. ex Boerio. decis. 286. n. 5. quamvis ibidem n. 106. addat, Archidiaconum & Archipresbyterum eatenus inter Praelatos referri, quatenus jure aliquo singulari jurisdictionem aliquam habent. Esse vero, (ut ait n. 109. ex Albertin. in c. quoniam. de heretic. q. 3. concl. 1. n. 2. & Archid. in c. 1. de consuetud. in 6. num. 1. & 2.) & appellari improprie dignitates, referendosque inter personatus cum sola sonantia nominis in dignitatem, ubi sunt cum nuda & simplice praeminentia, quales eas hodieum ferè esse binas illas dignitates, Episcopo omnem jurisdictionem, quam habuerant, sibi praescribente, nisi ubi electiva sunt (cum tunc vi electionis censeatur eas obtinentibus tributa aliqua jurisdictione in ipsos de Collegio, ut Abb. in c. decernimus. de iudic. n. 17. & Albertin. loc. cit.) ait ex iisdem num. 107. Quin etiam ait Cardin. de Luca de Can. d. 30. num. 7. citans pro hoc Sauch. de matrim. l. 3. d. 27. in fine. Boss. eod. tract. c. 4. §. 28. num. 75. hodiernos Archidiaconos & Archipresbyteros retinere solum quandam antiquae dignitatis imaginem seu reliquias.

2. De cetero appellari quoque Archidiaconatum quandoque officium, ut videre est ex Rubrica seu titulo 23. l. 1. Decret. qui inscribitur de off. Archidiaconi, officium non secus ac Praeposituram (etsi non simplex officium, quale dicitur administratio aliqua sine praeminentia & jurisdictione fori externi) tradit Laym.

loc. cit. in c. 1. de consuetud. in 6.

\* \* \*

P. Leuren. Tract. IV. De Archidiacono.

*Quaestio 628. Qualis Dignitas sit Archidiaconatus?*

**R** Esp. De jure communi ac regulariter esse primam post Episcopum dignitatem. Lotter. cit. q. 16. num. 112. ubi ait: inter has dignitates (nempe quae modò sunt cum nuda tali praeminentia) cum de praecedentia agitur, consideratur etiam solus habitus, & ideo Archidiaconatus de jure communi censeatur prima post pontificalem Dignitas. Fagn. in c. ad hac. h. t. num. 30. ubi ex Bellamer. ait, Archidiaconalem Dignitatem de jure communi post episcopalem esse majorem in ecclesia Dei, & per consequens majorem Abbatiali, licet Abbates propter pinguedinem reddituum usurparint contrarium. & in c. ut Abbates. de arat. & qualir. num. 26. ubi ait: DD. communiter in c. 1. de off. Archid. tenent, Archidiaconum esse primam Dignitatem post pontificalem. Barbof. de iur. eccles. l. 1. c. 24. num. 4. ubi absolute inquit: Archidiaconus est prima Dignitas, citans pro hoc Rotam in Andriensi Archidiaconatus 5. Decembr. 1625. Vulpe. in pr. c. 34. num. 12. Aretin. conf. 23. num. 3. & num. 20. ubi: in Choro tanquam prima dignitas post pontificalem alii Superior & major habetur. Foudut. qq. benef. p. 2. c. 3. §. 11. num. 11. ubi: Archidiaconus secundum juris communis Regulas est prima dignitas in ecclesiis Cathedralibus. Card. de Luca de Canon. d. 30. num. 9. ubi: Archidiaconus in Cathedrali, Archipresbyter in Collegiata regulariter praesumitur prima dignitas. Pignat. consult. Can. tom. 4. conf. 35. num. 7. ubi: de jure, non docto de limitatione, regula est, Archidiaconum esse primam dignitatem post pontificalem, Pirh. ad h. t. num. 4.

2. Proceditque id ipsum, etiamsi nullum jurisdictionis exercitium haberet, permanente penes illum jurisdictione, quam vi antiquorum Canonum habebat, in solo habitu. Pignat. loc. cit. ubi ait: sufficitque, quòd habitu sit dignior; nam ad effectum praecedentiae non requiritur jurisdictione actu in Archidiacono habente assistentiam juris; sed sufficit habitu, cum possit esse sine administratione spiritualium &c. Idem tradit Lotter. cit. num. 112. expressis verbis supra citatis. Item Azor p. 2. l. 3. c. 14. q. 5. ubi: Archidiaconus, ubi ex consuetudine omni curam animarum & jurisdictione caret, meo quidem iudicio & is Archidiaconus dignitate praeditus esse judicari debet, in quo locum habeant jura c. de mitra. & Extrav. Execrabilis, quibus prohibentur Clerici habere duas dignitates.

*Quaestio 629. An igitur Archidiaconus praecedat omnes alias dignitates, & in specie, an sit major dignitate Abbatiali?*

**R** Esp. ad primum: Secundum jus commune & praescindendo à particularibus ecclesiarum consuetudinibus, Archidiaconus major est omni alia dignitate in Cathedrali. Pirh. ad hunc tit. n. 4. Pignat. tom. 1. consult. 6. num. 16. Barbof. loc. cit. n. 2. Sequitur non solum ex Responsione ad praeced. quest. sed & synonymina sunt: esse primam dignitatem; Archidiaconum habere principalem dignitatem post Episcopum, & praecedere dignitates alias omnes episcopali inferiori.

X 2

rcs.